



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXI. De praebendis & dignitatibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO CHRISTI
1574.

aliquis aduocatus in quacumque causa vltra virginis, procurator vero vltra duodecim libras Turonenses recipere, salarii nomine, vel etiam sub palmarii colore, præsumat. Qui autem vltra receperint, nequaquam dominium eorum, quæ prædictam quantitatem excedunt, acquirant: sed ad restitutionem integrum teneantur illorum. Ita quod nihil horum, ad quæ restituenda eos teneri præmissus, in fraudem præsentis constitutionis remitti possit eisdem. Et insuper aduocati constitutionem præsentem taliter violantes ab aduocationis officio triennio suspendantur. Procuratores vero extunc sibi sciant cuiuslibet proctionis in iudicio licentiam denegatam. xx.

De iis quæ vi metuue causa fiunt.

Gregorius decimus in generali Concilio Lugdunensi. Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque reuocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim vel metum extortam, præsentis constitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem sine vindicta violentiae crescat audacia, eos qui absolutionem siue reuocationem huiusmodi vi vel metu extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus subiacere.

XXI.

De præbendis & dignitatibus.

Gregorius decimus in generali Concilio Lugdunensi. Statutum felicis recordationis Clementis papæ IV. prædecessoris nostri de dignitatibus & beneficiis in curia Romana vacantibus nequa-

Concil. Tom. 28.

Cccc ij

572 GREGORIVS P. X CONCILIVM RUDOLPHVS I. IMP.
PHILIPPVS III. R. FRANC.

ANNO CHRISTI
1274.

quam per alium quam per Romanum pontificem conferendis, decreuimus taliter moderandum, ut ii ad quos eorumdem beneficiorum & dignitatum spectat collatio, statuto non obstante praedicto, demum post mensem, a die quo dignitates seu beneficia ipsa vacauerint numerandum, ea conferre valeant tantummodo per seipso, vel, ipsis agentibus in remotis, per suos vicarios generales in eorum dicecesibus existentes, quibus id canonice sit commissum.

XXII.

De rebus ecclesiæ non alienandis.

Gregorius decimus in generali Concilio Lugdunensi. Hoc consultissimo prohibemus edicto, vniuersos & singulos prælatos ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu iura ipsarum, laicis submittere, subiicere, seu supponere, absque capituli sui consensu, & sedis apostolicæ licentia speciali, non concedendo bona ipsa, vel iura in emphyteosim, seu alias alienando, in forma & casibus a iure permisis, sed constituendo, vel recognoscendo, seu profitendo ab illis ea tamquam a superioribus se tenere, seu ab ipsis eadem aduocando, prout in quibusdam partibus vulgariter dicitur, Auher, vel ipsos patronos, siue aduocatos ecclesiarum, seu bonorum ipsarum perpetuo, aut ad tempus non modicum, statuendo. Contractus autem omnes, etiam iuramenti, pœnæ vel alterius cuiuslibet firmitatis adiectione vallatos, quos de talibus alienationibus, sine huiusmodi licentia & consensu contigerit celebrari, & quidquid